

ACTA TRIBUNALIIUM S. SEDIS

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

**Responsio in casu particulari seu «in re peculiari»
ad propositum de statu libero nupturientium*.**

Vicarius iudicialis diocesis N. ad hanc Signaturam Apostolicam hoc quaesitum proposuit:

«Attento quod acatholici iuxta c. 11 legibus mere ecclesiasticis non tenentur, et perspecto quod canon 1684, de duplici decisione conformi pro nullitate requisita ut quis novum inire possit matrimonium, est lex mere ecclesiastica, *quaeritur* an liceat assistere matrimonio partis catholicae cum parte acatholica, cuius matrimonium antecedens cum parte pariter acatholica a tribunali Ecclesiae catholicae solummodo in prima instantia nullum declaratum fuerit».

SUPREMUM SIGNATURAE APOSTOLICAE TRIBUNAL

Re sedulo perpensa;

Animadverso quod de libero statu contrahentium constare debet *ad normam iuris canonici*, si ipsi matrimonium coram Ecclesia catholica petunt (cf. cc. 1066; 1085, § 2; 1113-1114); quodque item tribunalia ecclesiastica ad normam iuris canonici procedere debent, si quis, etiamsi acatholicus, eorum ministerium petit;

* AAS 84 (1982) 549-550.

et considerato quod:

— «Matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars sit catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico...» (c. 1059); quam ob rem pars acatholica in casu, indirecte saltem, subicitur iuri canonico;

— Iuxta c. 1085, § 2 (qui tuetur ius non mere positivum), non licet matrimonium contrahere «antequam de prioris nullitate aut solutione *legitime et certo* constiterit», evidenter ad normam iuris canonici;

— Ius processuale canonicum agnoscit habilitatem coniugum etiam acatholicorum impugnandi matrimonium coram iudice ecclesiastico (cf. c. 1674, 1^o coll. cum c. 1476); praescripta iuris processualis canonici sine dubio etiam in huiusmodi casu vigent et consequenter etiam canon 1684 (sicut et canon 1682);

Visis etiam cc. 1686-1688;

Audito Rev.mo Promotore Iustitiae;

Vi c. 1445, § 3, 1^o;

In Congressu, die 1 Februarii 1990 coram infra-scripto Em.mo Cardinali Praefecto habito, quaesito proposito

respondet:

Negative, seu in casu omnino servanda esse praescripta cc. 1682 et 1684, salvis cc. 1686-1688.

Datum Romae, e Sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 1 Februarii 1990.

ACHILLES card. SILVESTRINI

Praefectus

Zenon Grocholewski, *a Secretis*

COMMENTARIUM

Responsio S.T. Signaturae Apostolicae est responsio in casu particulari seu «in re peculiari» ad propositum quaesitum de statu libero nupturientium; at ex eo quod in *Actis Apostolicae Sedis* edita est eruitur huiusmodi responsionem interesse non solum Vicarii Iudicialis dioecesis N., qui quaesitum proposuit, sed etiam aliorum Vicariorum Iudicialium, immo vel potius, attenta re de qua agitur, omnium quibus competit ea peragere quae ad normam iuris peragenda sunt antequam nupturientes ad celebrationem matrimonii admittantur (cf. cc. 1065-1072).

Signatura respondit in casu, uti indicatur in responsione, vi competentiae ipsi spectantis ex c. 1445, § 3, 1^o: «Supremi huius Tribunalis praeterea est: 1^o rectae administrationi iustitiae invigilare...».

Responsum approbatum est in Congressu diei 1 februarii 1990 eademque die subsignatum est a Praefecto et a Segretario Dicasterii. Editum autem est in *AAS* in fasciculo mensis iunii 1992.

I. QUAESITUM SIGNATURAE PROPOSITUM

Quaesitum Signaturae propositum conceptum est his verbis:

«an liceat assistere matrimonio partis catholicae cum parte acatholica, cuius matrimonium antecedens cum parte pariter acatholica a tribunali Ecclesiae catholicae solummodo in prima instantia nullum declaratum fuerit».

Quaesitum prout propositum est supponit matrimonium inter duas partes acatholicas, quod declarandum est nullum ut una ex his partibus cum parte cat-

holica matrimonium inire possit, iam in prima instantia a tribunali Ecclesiae catholicae nullum declaratum fuisse. Ideo quaeritur utrum haec declaratio in prima instantia sufficiat an requiratur etiam confirmatio a tribunali Ecclesiae catholicae in secunda instantia.

Dubii ratio quae adducitur est haec: acatholici non tenentur legibus mere ecclesiasticis (c. 11). Iam vero canon 1684 de duplici decisione conformi pro nullitate requisita ut quis novum inire possit matrimonium, est lex mere ecclesiastica. Ergo...

Ad hanc argumentationem notamus:

1) Si ratio adducta valeret, valeret quoque de lege statuente necessitatem declarationis nullitatis in prima instantia. Est enim et haec lex mere ecclesiastica. Non ergo apparet qua ratione logica, in quaesito, ex una parte dubitetur et quaestio proponatur de necessitate secundae decisionis conformis, quia hoc praescriptum «est lex mere ecclesiastica», et, ex alia parte, supponatur uti certum requiri declarationem nullitatis a tribunali Ecclesiae catholicae in prima instantia, ac si hoc praescriptum non esset «lex mere ecclesiastica».

2) Ideo quaestio, ut sensum habeat, debet proponi terminis omnino generalibus, et quidem incipiendo a quaestione praevia fundamentali:

— Utrum scilicet Ecclesia catholica potestatem habeat cognoscendi de nullitate matrimoniorum non catholicorum sive baptizatorum sive non baptizatorum.

Supposita responsione affirmativa, ulterius quaeritur:

— Utrum ad cognoscendum de nullitate huiusmodi matrimoniorum procedendum sit ad tramitem processus iudicialis ordinarii an forse sufficiat processus administrativus de statu libero nupturientium

in curia dioecesana peractus.

Signatura Apostolica ad utramque quaestionem non quidem sigillatim at modo inaequivoco respondet affirmative.

3) Non indicatur utrum agatur tantum de acatholicis baptizatis an etiam de acatholicis non baptizatis. Patet non baptizatos non teneri legibus mere ecclesiasticis, cum Ecclesia nullam habeat in non baptizatos competentiam iurisdictionalem. Baptizati autem acatholici a die 27 novembris 1983 non tenentur legibus mere ecclesiasticis, quia Ecclesia ita disposuit in Codice Iuris Canonici qui illa die cepit vigere (c. 11). Ante illam autem diem tenebantur legibus ecclesiasticis, nisi expresse exceptio in illorum favorem statueretur. Quoad matrimonium eximebantur ab impedimento disparitatis cultus (c. 1070/CIC 1917) et a lege de forma canonica, si inter se vel cum non baptizatis inibant matrimonium (c. 1099/CIC 1917).

Ecclesia firmiter tenens principium doctrinale iuxta quod ad ipsam spectat competentia in matrimonium omnium baptizatorum *propria seu nativa vel non derivata, independens a qualibet alia potestate humana, et exclusiva*, salva competentia auctoritatis civilis quoad effectus mere civiles, opportunum iudicavit ut in iure novi Codicis acatholici baptizati non amplius tenerentur legibus matrimonialibus mere ecclesiasticis. At nec indicavit qua lege humana matrimonia acatholicorum baptizatorum regantur a die 27 novembris 1983. Quod quidem creat lacunam legis in re maximae gravitatis, cum, ex principio doctrinali supra memorato, nulla lex matrimonialis possit habere vim (praesertim inhabilitatem vel irritantem) nisi ab Ecclesia una vel alia via procedat, cum sit unica auctoritas competens in tali materia. Iudex catholicus se inveniet in gravi difficultate si iudicare debebit de nulli-

tate alicuius matrimonii duorum acatholicorum baptizatorum, quod initum sit post diem 27 novembris 1983, si ratio nullitatis fuerit lex aliqua irritans vel inhabilitans humana, vel lex circa quam habetur dubium num sit iuris naturalis an iuris humani, uti est, v. gr., impedimentum consanguinitatis in secundo gradu lineae collateralis, id est inter fratrem et sororem et viceversa. In Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium provisum est cc. 780-781 ubi legislator canonicus normas statuit de iure positivo quo reguntur matrimonia acatholicorum et indicat ius ad quod attendendum est ad iudicandum de validitate matrimonii acatholicorum, si quando iudices Ecclesiae catholicae hoc iudicium emittere debuerint. In Ecclesia latina, cum huiusmodi leges desint, iudices hodie non habent nisi subsidia quae offert c. 19, quae quidem in re adeo gravi non sufficere videntur.

4) Denique velim efferre distinctionem quae intercedit inter matrimonium duorum acatholicorum baptizatorum et matrimonium inter duas partes non baptizatas vel inter partem acatholicam baptizatam et partem non baptizatam. Etenim distinctio haec est maximi momenti practici pro possibili solutione casuum qui occurre solent, scilicet catholicus qui inire matrimonium intendit cum acatholico qui matrimonii praecedentis vinculo in facie Ecclesiae impeditus apparet.

Uti in confesso est, matrimonium inter duas partes acatholicas baptizatas est matrimonium ratum (sacramentum) pariter ac matrimonium inter duas partes catholicas. Ideoque si huiusmodi matrimonium consummatum fuerit, deveniet absolute indissolubile. Consequitur nullam aliam viam praeter declarationem nullitatis adesse ut partes cum tertia persona novum matrimonium inire possint. Matrimonium autem

inter duos non baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam non est matrimonium ratum (sacramentum) ideoque etsi consummatum potest dissolvi, servatis de iure servandis. Sequitur in hac factispecie ut partes novum matrimonium cum tertia persona inire possint, praeter declarationem nullitatis adesse etiam possibilitatem ut matrimonium dissolvatur in favorem fidei sive ad normam cc. 1143-1149 sive a Romano Pontifice. Immo saepius recursus ad Sanctam Sedem erit via tutior et magis expedita quam processus ad declarationem nullitatis obtinendam, si casus tractari potest iuxta Normas Congregationis pro Doctrina Fidei diei 6 decembris 1973¹.

II. RESPENSIO SIGNATURAE APOSTOLICAE

Uti notum est, Dicasteria Sanctae Sedis saepius dant responsa affirmativa vel negativa, nullis adductis argumentis, quibus responsio nititur in iure. In casu de quo agimus Signatura Apostolica indicat argumenta quibus responsio negativa fundatur. Argumenta huiusmodi ad duo praesertim capita referuntur: Alia competentiam tribunalium catholicorum ad cognoscendam nullitatem matrimonii acatholicorum respiciunt; alia autem de comprobando statu libero nupturientium agunt. Attentis quae supra indicavi, liceat vim argumentorum efferre, non servato ordine quo proponuntur a Signatura.

¹ Z. GROCHOLEWSKI, *Documenta recentiora circa rem matrimonialem et processualem*, II, Roma 1980, 140-144, nn. 5524-5547.

a. *Competentia tribunalis Ecclesiae catholicae ad cognoscendum de nullitate matrimonii acatholicorum*

Imprimis notandum est responsionem Signaturae praesupponere uti praerequisitum fundamentale tribunalia Ecclesiae catholicae cognoscere posse causas nullitatis matrimonii acatholicorum, et quidem sive baptizatorum sive etiam non baptizatorum. Res ceterum est pacifica in iure et in doctrina. Signatura proponit rem assertive, citatis tamen canonibus, quibus assertio nititur:

«Ius processuale canonicum agnoscit habilitatem coniugum etiam acatholicorum impugnandi matrimonium coram iudice ecclesiastico (cf. c. 1674, 1º coll. cum c. 1476); praescripta iuris processualis canonici sine dubio etiam in huiusmodi casu vigent et consequenter etiam canon 1684 (sicut et canon 1682)».

Canon 1476 est plene explicitus: «Quilibet, sive baptizatus sive non baptizatus, potest in iudicio agere; pars autem legitime conventa respondere debet».

Iuxta CIC 1917 non baptizati non habebant capacitatem standi in iudicio in tribunalibus Ecclesiae. Acatolici vero baptizati recensebantur inter eos qui prohibebantur agere in iudicio, iuxta c. 1646/CIC 1917. In Instructione vero Congregationis de Sacramentis *Provida Mater*, 15.8.1936, statuebatur absque aestimatione quoad causas matrimoniales: «Itidem actoris partes agere nequeunt in causis matrimonialibus acatolici sive baptizati sive non baptizati» (art. 35, § 3). Ut possent admitti ad agendum, recurrendum erat in singulis casibus ad Sanctum Officium, iuxta responsum ab hac Congregatione datum die 27 ianuarii 1928 et ab Instructione citatum et confirmatum (*ibid.*).

Attentis autem doctrina Concilii Vat. II atque

principiis directivis pro recognitione CIC de maiore tutela iurium subiectivorum procuranda, haec norma mitiganda quam primum videbatur. Ideo Pontificia Commissio Decretis Concilii Vaticani II Interpretandis die 8 ianuarii 1973 responsum dedit, iuxta quod non amplius viget disciplina «vi cuius acatholici, sive baptizati sive non baptizati, actoris partes agere in causis matrimonialibus nequeunt, nisi de licentia S. Congregationis pro Doctrina Fidei, singulis in casibus impetranda»².

Canon 1476 non solum codificat hoc responsum quod non nisi de causis matrimonialibus agit, sed clare statuit principium generale quod pro omnibus causis valet. Ideo hodie nullum dubium fundatum moveri potest de capacitate acatholicorum, sive baptizatorum sive non baptizatorum, agendi in iudicio in tribunalibus Ecclesiae catholicae. Lex est prorsus clara.

Iam vero, supposita hac capacitate, patet acatholicos teneri legibus exercitium huius capacitatis determinantibus. Inter quas principem locum occupat lex, iuxta quam, ad impugnandum matrimonium habiles tantummodo sunt coniuges et, positis ponendis, promotor iustitiae, ad normam c. 1674. Ideo recte in argumento Signaturae conferuntur cc. 1674 et 1476.

Praeterea obvium est causas matrimoniales acatholicorum tractandas esse servato ordine processuali quo tenentur tribunalia Ecclesiae catholicae ad huiusmodi causas cognoscendas. Consequenter, uti innuit Signatura, causis acatholicorum applicandi sunt etiam canon de appellatione necessario facienda post primam sententiam affirmativam (c. 1682) et canon statuens eos, quorum matrimonium declaratum est nul-

² ASS 65 (1973) 59.

lum, non posse ad novum matrimonium transire nisi postquam sententia affirmativa in gradu appellationis confirmata fuerit (c. 1684).

Signatura addit: «Visis quoque cc. 1686-1688», qui canones agunt «De processu documentali», qui dicitur, id est de processu qui, positis ponendis, adhiberi potest in tractandis causis matrimonialibus, breviori tramite et vitatis gressibus processus ordinarii. Agitur tamen de vero processu iudiciali. Patet nullam difficultatem adesse in eo quod etiam causae acatholicorum cognoscantur hoc processu documentali, si conditiones iure praescriptae verificantur ut possit applicari, eodem prorsus modo ac quando agitur de causis catholicorum.

b. *Comprobatio de statu libero nupturientium*

Quaesitum cui respondet Signatura directe agit de praemittendis celebrationi matrimonii. Quaeritur enim: «an liceat assistere matrimonio partis catholicae cum parte acatholica cuius matrimonium antecedens cum parte pariter acatholica a tribunali Ecclesiae catholicae solummodo in prima instantia nullum declaratum est».

Vidimus supra Codicem Iuris Canonici agnoscere habilitatem coniugum acatholicorum, sive baptizatorum sive non baptizatorum, ad accusandum proprium matrimonium apud tribunalia Ecclesiae catholicae. Item vidimus huiusmodi causas tractandas esse servato iure processuali tribunalium catholicorum. Ideoque requiri duplicem decisionem conformem pro nullitate ut coniuges acatholici, quemadmodum et catholici, possint ad novas nuptias transire. Ideo hoc sufficeret ad responsionem negativam eruendam circa quaestionem propositam. Attamen rationes adductas a Signa-

tura perpendamus et aliquid evolvamur oportet.

Imprimis notandum est omnibus casibus celebrationis matrimonii canonici applicari debere principium generale quod enuntiatur in c. 1066: «Antequam matrimonium celebretur, constare debet nihil eius validae ac licitae celebrationi obsistere». Media autem quibus ad hanc certitudinem obtinendam pervenitur sunt valde varia pro diversitate adiunctorum. In casu periculi mortis exigentiae ad minimum reducuntur (c. 1068). In adiunctis vero ordinariis, in iure vigenti, secus ac in CIC 1917, non habentur normae communes circa media in tota Ecclesia obligatorie adhibenda ad statum liberum comprobandum. Res relinquatur competentiae Episcoporum conferentiae, quae statuere tenetur «normas de examine sponzorum, necnon, de publicationibus matrimonialibus aliisve opportunis mediis ad investigationes peragendas, quae ante matrimonium necessaria sunt, quibus diligenter observatis, parrochus procedere possit ad matrimonium assistendum» (c. 1067).

Officium et onus adimplendi omnia quae ad normam iuris adimplenda sunt ut legitime constet nihil obsistere validae ac licitae celebrationi matrimonii incumbit parrocho, qui absque licentia Ordinarii loci procedere potest, nisi agatur de casibus previsis in c. 1070, uti eruitur vel ex ipso canone citato 1067. Quod si parrochus (vel Ordinarius) delegationem specialem concedere intendunt, servare tenentur canonem 1113, citatum a Signatura: «Antequam delegatio concedatur specialis, omnia provideantur, quae ius statuit ad libertatem status comprobendam». Quod attinet vero assistentem delegatum, praescribit canon 1114, citatus etiam a Signatura: «Assistens matrimonio illicite agit, nisi ipsi constiterit de libero statu contrahentium ad normam iuris...».

Inter maximam casuum diversitatem, quam vita realis offert, in iure locum peculiarem occupant nupturientes qui praecedenti vinculo matrimoniali iuncti erant. Pro his habetur norma peculiaris: «Quamvis prius matrimonium sit irritum aut solutum qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit» (c. 1085, § 2).

Hic canon, citatus quoque a Signatura, clare indicat casum de quo agitur habere tractationem peculiarem, diversam ab illis casibus in quibus neuter nupturientium fuerat praecedenti matrimonio vinculatus. In hoc casu numquam sufficit certitudinem ut ita dicam privatam prius matrimonium fuisse nullum aut fuisse solutum qualibet ex causa, scilicet vel morte vel per solutionem vinculi in casu matrimonii rati et non consummati (c. 1142) aut in favorem fidei sive ad normam cc. 1143-1149 sive per recursum ad Sanctam Sedem, iuxta Normas Congregationis pro Doctrina Fidei, 6 decembris 1973, supra citatas.

In hoc casu, ut nupturiens licite aliud matrimonium contrahere possit, necesse est ut «de prioris nullitate aut solutione *legitime et certo*» constet. De nullitate autem prioris matrimonii in iure vigenti legitime non constat nisi post obtentam duplicem decisionem conformem pro nullitate, salvis cc. 1686-1688, de processu documentali. Servandus est c. 1084, qui iura et obligationes statuit in casu: «Postquam sententia, quae matrimonii nullitatem primum declaravit, in gradu appellationis confirmata est, vel decreto vel altera sententia, ii, quorum matrimonium declaratum est nullum, possunt novas nuptias contrahere statim ac decretum vel sententia ipsis notificata est, nisi vetito ipsi sententiae aut decreto apposito vel ab Ordinario loci statuto id prohibeatur».

Animadvertendum est Ecclesiam praesumere matrimonium acatholicorum, quacumque forma publica celebratum, esse validum. Praeterea praesupponit matrimonium semel valide celebratum dissolvi non posse quoad vinculum nisi, positis ponendis, ab Ecclesia. Ideo divortio civili non agnoscit vim ullam quoad dissolutionem vinculi. Neque generatim agnoscit valorem determinantem declarationi nullitatis, quam forte auctoritas civilis ad normam iuris civilis pronuntiaverit. Et ratio est quia generatim ordines iuridici civiles adhibent alias categorias iuridicas in hac materia longe ab illis quas Ecclesia applicat ad aestimandam creationem vinculi matrimonialis. Nihil mirum proinde si Ecclesia catholica peculiare normas ad comprobandum statum liberum applicet, quando agitur de admittendis ad matrimonium cum parte catholica iis acatholicis qui antea aliud matrimonium cum parte pariter acatholica celebraverant, nec hoc matrimonium morte coniugis solutum est.

Signatura eruit argumentum etiam ex c. 1059: «Matrimonium catholicorum, etsi una tantum pars sit catholica, regitur iure non solum divino, sed etiam canonico...». Unde concludit Signatura, «pars acatholica in casu indirecte saltem subiicitur iuri canonico». Indirecte, id est quatenus pars catholica licite non potest celebrare matrimonium nisi serventur omnia praescripta iuris canonici quibus ipsa tenetur, inter quae recensetur modus comprobandi, ad effectum de quo agitur, nullitatem praecedentis matrimonii quod altera pars antea celebraverat. Sine hac legitima probatione pars catholica non potest legitime procedere ad celebrationem matrimonii. Ideo indirecte quidem at vere pars acatholica in casu subiicitur iuri canonico.

Antequam finem imponam his annotationibus

velim efferre momentum quaestionis. Si enim secundum matrimonium (illud scilicet inter partem catholicam et partem acatholicam) celebratur antequam prius matrimonium (illud nempe inter hanc partem acatholicam et aliam pariter acatholicam) per duplicem decisionem conformem nullum declaratum fuerit, secundum poterit impugnari a coniugibus vel a promotore iustitiae, ad normam c. 1674, vel etiam denunciari uti nullum. Prius enim matrimonium gaudet favore iuris et standum est pro eius validitate donec contrarium probetur (c. 1060). Probatio autem nulla alia admittitur nisi quae iure sancita est. Ius vero statuit ut probatio nullitatis requirat duas decisiones conformes pro nullitate. Antequam hae duae decisiones conformes obtineantur, stat prius matrimonium in possessione; ideoque secundum declarandum est nullum, et quidem, positis ponendis, processu documentali ad normam cc. 1686-1688.

URBANO NAVARRETE, S.J.